

X.

Fasciculus

plantarum herbarii academici

aut

plane nondum aut minus bene descriptarum.

Auctor

Dr. C. Ph. F. Martius.

i. *Rhynchospora cyperoides*.

R. specis capitato-globeratis; capitulis globosis, subumbellatis.

Schoenus cyperoides Swartz flor. ind. occid. I. p. 110. Vahl
enum. II. p. 227.

Semen obovatum, obsolete trigonum, ferrugineum, corona-
tum rostellum subulato compresso viridi-albo, ipsum longitudine su-
perante. Setae tenuissime scabrae, circiter sex, quatuor longitudine

sc-

seminis, duae rostellum aequantes vel eo paulo longiores. *Squamæ paleaceæ*, inferioribus ut plurimum sterilibus.

Ex hac descriptione patet, speciem nostram referri debere ad *Rhynchosporam*, genus, ob notas characteristicas e fructus inde desumptas atque habitum, bonum et servandum. Inserenda est *R. cyperoides* ante *R. cephalotes Vahl.*, quam inflorescentiae ratione connectit cum antecedentibus. Illius vero diagnosis ita mutanda erit:

R. cephalotes: spicis capitato-globeratis, capitulo unico oblongo.

2. *Ammannia repens*.

A. foliis subpetiolatis, oblongis, obtusiusculis; floribus axillaribus, solitariis, sessilibus; caule tetragono, radicante.

Ammannia repens Rottler in herb. Schreber.

Caulis prostratus et suberectus, hinc inde radiculas emittens, erectus, glaber, tetragonus, ramosus, annuus. *Rami* stricti, erecti. *Folia* oblonga vel lato-lanceolata, infima saepe latiora atque ovata, circiter unguem longa, in petiolas breves attenuata, opposita, approximata, glabra, obtusiuscula, nervo venisque subtus prominentibus. *Flores* in axillis foliorum sessiles solitarii. *Calyx* membranaceus, glaber, obsolete tetragonus, oblongus, ore in dentes quatuor latiores, erectos, cum totidem parvis alternantes, divisus. *Bractea setacea*, calyce brevior, ad ejus latus exterius atque interius. *Petala* nulla adesse videntur. *Capsula* oblonga, cylindrica, calyce brevior, quadrilocularis, fusca, glabra. *Stylus* tenuis, exscapus atque stigmate capitato terminatus. *Semina* fusca.

Habitat in *India orientali*: *Rottler.*

3. *Ochroxylon punctatum.* Tab. A.

Character gen. essent.

Calyx quinquefidus. *Corolla* pentapetala. *Nectarium* annulare, subtrilobum, demum elevatum. *Capsulae* tres uniloculares, nectario insidentes.

Species unica: *O.punctatum.* Tab. A.

Arbor aut *frutex*. *Rami* teretes, cortice purpurascenti-fusco, aculeis vel sparsis vel subgeminis, interdum solitariis, paulo curvis nitidisque armati. *Folia* petiolata, alterna, oblonga, obtusiuscula, integerrima, basi paululum attenuata, utrinque glabra, glandulis pellucidis punctata, bipollicaria et majora. *Petioli* semiunguem circiter longi, glabri, supra sulco exarati. *Flores* in ramis ramulisque terminales, in paniculas corymbosas, quam folia breviores, conferti, magnitudine florum *Rhamni Alaterni L.* vel paulo minores potius. Horum descriptio accuratissima legitur in *Schreb. gen. plant. I.* p. 199. n. 508. sub *Curtisia*, quod nomen, in ipsius libri supplemento, in illud *Ochroxyli* mutavit. *Corolla* clausa globosa est; colore, uti in siccatis speciminiibus videtur, albido-flavescente. In nonnullis floribus germanum unicum tantummodo vidi nectario elevato impossum. *Fructus* mihi quoque capsularis videtur. *Cortex* et *lignum* quod colore pallide-flavo est, santalum redolent.

Habitat in *Insula Sli Joannis*: *Crudy, Med. Dr.*

Bruneliae genus, a cl. *Humboldt* pluribus speciebus novis auctum, staminum variatione insigne, proximum videtur. Utrum vero *Ochroxylon nostrum* huic rite adscribi possit, nec ne, priusquam de fructus indole certi quid notum est, vix praedicare ausim.

4. *Grubbia rosmarinifolia.* Tab. B.

Descriptio a Bergio in flor. cap. 90. data, quoad partes externas est accuratissima, florum structura vero nec ab illo nec ab acuto Schrebero in gen. pl. n. 663. omnino perspecta videtur atque icone indiget, quam heic adjungimus.

Character gen. essent.

Involucrum membranaceum, diphyllum (s. bivalve), triflorum, persistens. Corolla monopetala (nec tetrapetala), quadripartita. Stiginata simplicia.

Descriptio floris:

Perianthium membranaceum, glabrum, (in siccis subscariosum), urceolatum, constans foliolis s. valvulis duobus aequalibus, basi se amplectentibus, concavis, obtusis, medio emarginatis, flores ternos vel rarius binos continens, subrotundum vel a mutua pressione obsolete quadratum.

Corollae monopetalae, quadripartitae; laciniae aequales, oblongae, obtusae, extus lanugine densa, superne ex albido flavescente, inferne, ubi paulo laxior est, alba, e filis sub lente composita simplicibus subarticulatis clavatis cavis contexta, obvelatae, intus concavae, membra glabra fusca vestitae, plerumque clausae.

Filamenta breviora quam laciniae corollinae, alternantia; quatuor in concavitatibus petalorum posita, quatuor in laciniarum commissoris, ovario magis approximata. Antherae erectae, biloculares, subrotundae, flavae.

Ovarium ovato - subtetragonum minutum, villosum, supernum. — Ob situm trium florum sibi valde approximatorum ovaria dense compacta

pacta atque quasi connata videntur, sed suspensa manu singula a se
invicem separari possunt.

*Stylus simplex, cylindricus, brevis, staminibus brevior. Stigma
obtusum subemarginatum.*

*Pericarpium, uti videtur, nullum adest. Semen unicum in
ipso fundo corollae, villosum. (?)*

1. Calyx cum floribus clausis;
2. idem quadruplo auctus.
3. Flores in calyce denudati, lateralibus remotis.
4. Corolla aperta.
5. Germina immersa receptaculo floris villoso.
6. Germen separatum cum Stylo atque stigmate.

5. *Bignonia cicutaria*. Tab. D.

B. foliis bipinnatis; pinnis ovato-lanceolatis, integerrimis;
panicula coarctata, corymbosa; tubo corollae angusto, quam limbus
triplo longiore.

Bignonia cicutaria Koenig in herb. Schreberi.

Malej-pannir Tamul.

Frutex? ramosissimus. Rami densi, suboppositi, erecti, cor-
tice inferne cinerascente glabro, superne purpurasecente pubescente
tecti, angulati, striati. Folia opposita, bipinnata; foliola terna, quina
et rarius septena, opposita cum impari, tri-quadri-juga; pinnae

ovato-lanceolatae vel ovato-acuminatae apice acuto, basi saepius obliquae; extima plerumque reliquis major unciam et ultra longa, infimae sacpe pinnulis lateralibus auctae, omnes glabrae. *Petioli* communes partialesque glabri, sulcati. *Pedunculi* terminales, angulati, sulcati, pubescentes, paniculato-divisi. *Pedicelli* conferti, subcorymbosi. *Calyx* parvus, cyathiformis, obsolete quinquedentatus, demum margine reflexus, glaber. *Corolla*, uti in siccatis speciminiibus videtur, colore floris *Bignoniae radicantis*, tubo gracili longo sursum abeunte in limbum inaequaliter quinquefidum, lacinia subcrectis, quarum infima minor. *Stamina* quam corolla sunt breviora; filamenti quinti rudimentum parvum. *Ovarium* oblongum, glabrum. *Stylus* corollam aequans. *Stigma* bilamellatum. *Fructum* non vidi. (Hujus generis speciebus praeter *Bignonię coerulę* L. atque *B. brasilię* Lam., nec non Humb.: *acutifolię* et *obtusifolię*; adnumerandae sunt, *B. alba* Lam. et *procera* Willd.)

Bignonia cicutaria habitat in India orientali.

6. *Ononis glutinosa*.

O. fruticosa, piloso-viscosa; floribus racemosis; foliis simplicibus, stipulis creberrimis subulatisque.

Minnanschu Tamul.

Frutex ramosissimus. Rami teretes, supra virides, pilis ferrugineis glanduliferis undique hirsuti atque glutinosi, ramulis pluribus sparsis patentibus. *Folia* in ramis, et rarius in ramulis, qui omnino ferme stipulis occupantur, sessilia, alterna, oblonga, pollicem longa, integerrima, utrinque pilis ferrugineis nitentibus glutinosa. *Stipulae* per universam stirpem atque praecipue versus ramorum summitates crebro sparsae, alternae, oppositae vel saepe fasciculatae, sessiles, subulatae, unguem longitudine acquantes, uti

reliquae partes pilosae. *Flores* in racemis simplicibus axillares terminalesque magnitudine florum *Ononidis Natricis* vel paululum majores. *Pedunculi* atque *pedicelli* stipulis numerosis obsiti, teretes, piloso-glutinosi. *Calyx* pilosus, laciniis lanceolatis, margine reflexis. *Corollae vexillum* cordato-ovatum, reflexo-patens, inferne striatum, extus, uti reliquae floris partes, villosum. *Alae* oblongae conniventes. *Carina* basi usque ad medium bipartita, sursum fallata, acuminata, glabra, alis longior. *Stamina* decem, omnia coaliata, quinque breviora antheris linearibus, quinque longiora antheris subrotundis. *Ovarium* breviter pedicellatum, subulatum, compressum, pilis erectis villosum. *Stylus* filiformis, longitudine carinae, infractus, assurgens, glaber. *Stigma* capitatum, villosum. *Legumen* oblongum, turgidum, breviter pedicellatum, uniloculare. *Semen* reniforme.

Locus in specierum serie huic maxime convenit juxta *Ononidem stipulatum*.

In India orientali habitat: Rottler.

7. *Crotalaria prostrata*. Tab. E.

C. foliis simplicibus, anguste ellipticis, pilosis; pedunculis elongatis, oppositis foliis, racemosis; stipulis minutis, setaceis; caule prostrato.

Crotalaria prostrata Roxb. Rottler in herbario Schreber. —

Willd. enum. hort. ber. p. 747.

Radix annua. Caulis pedalis et longior, ramosus, prostratus, teres, valde pubescens. *Folia* alterna, petiolis brevibus insidentia, oblonga, obtusa, basi saepius obliqua, pilis fuscis adpressis obsita, juniora sericea, pollicem longa. *Flores* in racemis oppositi-foliis parci. *Pedunculi* elongati et saepe virgati, uti pedicelli breves

nutantes, hirsuti. *Stipulae* ad calycum basin minutae, lineam aequalentes, setaceae. *Calyx* tomentosus, laciniis lanceolatis acutis aequalibus longitudine fere *corollae* albidae, vexillo lineolis nonnullis nigricantibus rectis picto. *Legumen* glabrum, longitudine pollicis dimidii, in calyce sessile.

Media inter *C. rubiginosam* W. atque *C. chinense* L.

Habitat in India orientali: Rottler.

8. *Crotalaria hirta*. Tab. F.

C. pilosa, foliis simplicibus, lanceolatis, obtusis; bracteis lanceolatis, acutis; stipulis minutis; racemis paucifloris, terminalibus; caule diffuso.

C. hirta Willd. enum. hort. ber. p. 747.

C. pilosa Roxb. Rottler in herb. Schreb.

Radix annua. *Caulis* teres, ramosus, pilosus; rami diffusi. *Folia* alterna, breviter petiolata, lanceolata vel angusto-oblonga, obtusiuscula, pilis ferrugineis undique obsita, unguem longitudine mehtientia et longiora. *Stipulae* juxta ramos atque rarius ad foliorum basin, subulatae. *Calyces* in summis ramis solitarii vel terni, quaterni, singuli bractea lanceolata, acuta, ipsis longitudine aequali, breviterque petiolata, instructi, laciniis acutis, denso villo ferrugineo vestiti. *Corollae* vix calyce longiores.

Inserenda est haec species post *Crotalaria chinensem* L.

Habitat in India orientali: Rottler.

9. *Crotalaria virgata*. Tab. G.

C. foliis ternatis, foliolis glabris, obcordatis sine mucrone; stipulis minutis; racemis paucifloris, lateralibus; ramis diffusis, subvirgatis.

Crotalaria virgata Roxburgh.

Radix lignosa, perennis. *Caulis* teres, glaber, ramosissimus, ramis diffusis subvirgatis. *Folia* in caule ramisque alterna, ternata. *Foliola* aequalia, obcordata, sine mucrone in medio, tres-sex circiter lineas longa, glabra, subtus pilis brevibus adpressis obsita. *Petioli* longitudine foliorum. *Stipulae* minutissimae, ad quodvis folium binae, juxta calycum basin vero singulae eaeque persistentes et reflexae, ita ut, floribus delapsis, pedunculi quasi spinosi evadant. *Stipulae* minutissimae. *Flores* parvi, in racemis lateralibus oppositifoliis quinque ad octo. *Pedunculi* petiolis longiores ad summum unciales. *Calyx* subpubescens. *Carina* apice acuto. *Legumen* non vidi.

Habitat in *Coromandelia*: Rottler.

10. *Crotalaria orixensis*. Tab. H.

C. foliis ternatis, obovatis, subtus strigoso-pilosis; stipulis lanceolatis bracteisque ovatis reflexis; racemis terminalibus laxissimis; caule diffuso.

C. orixensis. Rox. — Willd. enum. hort. ber. p. 747.

Radix annua. *Caulis* flexuosus, angulatus vel anceps, pilis hinc inde sparsis fuscescentibus hirtus. *Folia* ternata, remotiuscula, alterna. *Foliola* unguicularia, petiolo communi paulo longiora, obovata et apice mucrone brevissimo aucta, subtus pilis adpressis

rigidiusculis obsita, supra glabra laete viridia. *Petioli* pilosi. *Stipulae* ad foliorum basin adque ramifications, lanceolatae, saepius reflexae. *Bractae* juxta pedicellos, cordato-ovatae, acutae, uti stipulae pilis rigidis parce ciliatae. *Racemi* terminales, elongati, floribus alternis et remotis. *Pedicelli* filiformes, teretes, villosi. *Calyx* hirsutus, lacinis lanceolatis aeutis subacqualibus. *Corolla* calyce major, flavescens, vexillo striato obscuriore. *Legumen* in calyce pedicellatum, ovatum, turgidum, colore testaceo, glabrum, unguis longitudine.

Habitat in *Orixa Indiae orientalis*: Rottler.

Locus in systemate unacum *C. virgata* ante *heterophyllum L.*

11. *Cylista scariosa*. Tab. C.

Character *Cylistae* in Schreb. gen. pl. II. p. 808 exhibitus atque e *C. villosa* desumptus non quadrat cum flore *Cylistae scariosae* Roxb. corom. I. p. 64. t. 92. — Spec. pl. ed. IV. III. p. 1068, quam ob causam juvat fusiorem floris, quam a Roxburghio data est, descriptionem tradere eamque icone illustrare.

Calyx: Perianthium quadripartitum, forma ipsam corollam aemulans, membranaceum, reticulato-venosum, primo viride, demum flavescens, scariosum, glabrum, persistens atque maturante fructu incrementum capiens. *Lacinia superior* (quasi vexillum) in floribus junioribus quam corolla paulo brevior, in maturis ea longior eamque latitudine aequans, erecta, complicata atque corollae partem supremam amplectens, ab apice usque ad medium in duos lobos ovatos obtusos aequales divisa, basi postice concava. *Laciniae* duae laterales (s. alae) aequales, ovatae, obtusae, quam corolla, cuius similitudine laciniæ supremæ partem tegunt, minores. *Lacinia inferior* (s. quasi carina) omnium partium maxima, oblonga, obtusiuscula, cymbam;

bam referens s. complicata, partem corollas infimam involvens, primo ejus longitudine, demum fere duplo major.

Corolla papilionacea, persistens. *Vexillum* ovatum, rotundatum, rix emarginatum, integerrimum, ungue longitudine tubi calycis et basi antice utroque latere calcare deorsum spectante instructum. *Alae* oblongae, obtusae, vexillo atque carina breviores, usque angustiores; ungue filiformi longitudine tubi calycis, basi antice processu auctae, postice cum carina coalitae. *Carina* oblonga, compressa, longitudine vexilli, unguibus suffulta alarum similibus, basi usque ad medium bipartita, superne integerrima, obtusiuscula.

Stam. *Filamenta* diadelpha, uno simplici ad basin curvato, reliquis novem in vaginam connatis, erectis, supra curvis. *Antherae* subrotundae.

Pist. *Ovarium* oblongum, compressum. *Stylus* subulatus, persistens. *Stigma* capitatum.

Peric. *Legumen* ovatum, compressum, uniloculare, pubescens.

Semen reniforme, unicum?.

Memorabilis structura floris, quod calyx corollam quasi repetit, ita ut duas corollas, unam in altera, adesse dici possit. Tempore grossificationis calyx ita mutatur ut *Samarae* speciem quasi praeseferat.

1. Calyx et Corolla juniores.
2. — adultiores.
3. Vexillum Corollae.
4. Carina Corollae cumala adnata.

5. Stamina eum ala calycina.
 6. — cum pistillo.
 7. Legumen integrum
 8. — apertum cum semine intus.

12. *Lycopodium macrophyllum*. Tab. I.

L. caule erecto; foliis ovato-lanceolatis, obtusis, erectis, alternis, imbricatis, crassiusculis; spica terminali solitaria.


Radix fibris albis tenacibus longe repens. *Caules* basi divisi, caeterum simplices, erctti, spithamaci et altiores, *foliis* ex ovato-lanceolatis obtusiusculis margine integerrimis glabris, *crassis*, pallide viridibus alternatim imbricatis semiunguicularibus vel majoribus vestiti. *Spica* in apice caulis sessilis, sesquipollicaris, angusta.

Habitat haec species, ob foliorum magnitudinem situmque memorabilis, in *India orientali*, unde Schrebero misit Rottlerus.





Grubbia rosmarinifolia.



Cylistia scariosa.


Waldmann delin.

Zu Dr. Martius Abb.

Walwert sculps.

Denkschr. VI. 8.







Taf. D.

Bignonia
orientalis.

Tab. E.



Crotalaria peniculata.

Tab F



Crotalaria hirta.



Tab. a.



Crotalaria virgata.




Tab. 11.



Crotalaria
Crispa.



Tab: I.



Lycopodium *macrophyllum*

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Denkschriften der Akademie der Wissenschaften München](#)

Jahr/Year: 1819

Band/Volume: [07](#)

Autor(en)/Author(s): Martius Carl Friedrich Philipp von

Artikel/Article: [Fasciculus plantar um herbarii academicci aut plane nondum aut minus bene
descriptarum. 149-160](#)